Jahresbericht

der Steinbart'schen

Erziehungs- und Unterrichts-Anstalten

bei Züllichau,

herausgegeben

am Schlusse des Schuljahres von Ostern 1849 bis Ostern 1850.

Hanow

I. De Cornelio Nepote a loco, quem in scholis obtinet, removendo;

II. Schulnachrichten, Beides vom Director.

Züllichau. 1850, gedruckt bei F. A. Lange.

De
Cornelio Nepote
a loco, quem in scholis obtinet, removendo.

De Latino scriptore, cujus exstant vitae imperatorum Graecorum cum appendice et pars libri de historicis Latinis, multum ac diu disceptatum est, Aemiliusne esset Probus, an Cornelius Nepos, primo saeculo ante Christum natum fuisset, an quarto post natum eundem. Nec hodie perfecta res est ab omnique parte absoluta; constat, quod sciam, Aemilii Probi nomen casu et errore cum illis vitis consociatum esse; de aetate earum et auctore disceptatur etiamnunc. Nuperrime Carolus Nipperdey, qui Cornelium Nepotem Lipsiae edidit universa disputatione et annotationibus plane egregiis illustratum, demonstrare conatus est, aureae aetatis esse illos libellos scriptosque a Cornelio Nepote, M. Tullii et T. Pomponii familiari. Ac de priore quidem re facile nobis persuasit, quippe qui post longam dubitationem idem jam diu statuissemus; de altera aegre persuasit.

Sed in hoc subito disputandi munere, quod suscipiendum nobis erat — quia enim, quae exspectata fuerat collegae commentatio, non praesto erat, ne indices scholastici nudi emitterentur, δόσις ὀλίγη afferenda potius erat, quam nulla — nos quidem universam illam quaestionem nec possumus hoc loco disserere nec volumus. Id unum nobis proposuimus, ut exquireremus paucis: *ille vitarum scriptor, quisquis est, utrum dignus esset, qui Latine discentibus mature in manus traderetur, annon dignus esset?* Non ignoramus, hoc cum agimus, nihil nos nisi crabrones irritare. Namque Cornelius ille Nepos, quo nomine brevitatis causa eum, de quo disputatur, appellare licebit, in paucis est Latinis scriptoribus, quorum in scholis regnum non vetustate magis sanctum, quam pietate plurimorum munitissimum videatur. Erat autem, cur nec vetustati tantum tribueremus nec auctoritati, ut hac abstineremus disquisitione; num justa caussa fuerit, alii existimabunt.

Quod Terentianus Demea tanquam in speculum in vitas omnium inspicere filium jubet, nos quidem sic instituemus, ut in unam tantum scriptoris vitam, tanquam in speculum, lectores inspiciant: videbunt tum ipsi fortasse — ex ungue leonem. Thrasybuli autem vitam, quam perstringeremus, idcirco delegimus, quod, cum nec multa ab eo essent gesta, nec aut causarum obscuritate aut varietate rerum impedita, facillimum munus visus est is subisse, qui vitam ejus scribendam sumeret. Sin Themistoclis vitam aut Alcibiadis aut Dionis aut Agesilai proposuissemus, si non invidiosius, certe durius non nemini fortassis agere videremur. Tum disputandi ratio ac via, quam iniimus, excusanda est; ab initio cum placuisset, quae de rebus, de sententiis et de verbis annotanda essent, disponere atque in singula quaeque capita referre, post tamen intellectum est, fore, ut sic discerperentur, quae apud scriptorem conjunctissima essent; confusae igitur atque universae disputationi locus dandus erat.

In *Thrasybulo* exorditur magnifice: *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit.* Volgo non virtutem ponderant aut voluntatem, sed fortunam et eventum. At quid tibi, qui es historicus, cum volgo? cum praesertim in Eumene dicas: *magnos homines virtute metimur, non*

fortuna. Sed, ut hoc mittamus, quid erat, cur in Thrasybulo fortunam non ponderares? Ipse magnificentissimum ejus factum vis esse patriam triginta tyrannis liberatam. Secundane fortuna in hac re usus est, an adversa? Hoc, quod tanto opere praedicas, tale fuit, totum ut e fortuna penderet. Nives nisi cecidissent opportunissimo tempore, aut Lysandro aemulatus esset Pausanias, nae ille Thrasybulus, quem tantis laudibus effers, oppressus turpiterque interfectus esset. Fortunam igitur ponderare debebas Thrasybulumque primum omnium ponere. In proximis fracta est oratio tua atque horrida, cum scribis: illud sine dubio: neminem huic praefero. Tum in caussa afferenda lapsus es. Cujus rei caussa in eo cernitur, quod triginta tyrannis patriam liberavit? Anne fidei, constantiae, magnitudinis animi, patriae amoris? Hoc nolebas, si aliquid videmus; nam in caussa afferenda hoc maxime urgebas, quod multi voluissent, pauci potuissent, huic contigisse, ut efficeret, et tricies quidem majus efficeret; referebas igitur hanc tuam caussam, quaecunque est, ad priora illa: dubito an hunc primum omnium ponam, transibasque, quae media sunt. Vide, quid statim post tibi acciderit; dicis enim § 3: Sed nescio quomodo, cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt. Quibus virtutibus? Hoc loco vis fidem, constantiam, reliqua; delenda igitur sunt legentibus ex animo et cogitatione, quae interposuisti pulcherrima inque medullas se insinuantia, ut ad illas virtutes tuum pronomen referatur. Quid, nonne perplexa haec est oratio et implicata? Ponis primam quandam sententiam et secundam; tertio loco affers caussam primae sententiae, et quod quarto est loco, referendum alteri sententiae. Scilicet doctissimis scribis! Sed miraris, quod multi nobilitate praecucurrerint. Qui potes? Significaras supra, fortunam Thrasybulo defuisse, scis idem, in nobilitate paranda plurimum valere fortunam, necesse igitur erat, Thrasybuli lumen obscuraretur luce fortunatorum vel insipientium. Redeundum est ad illud, in quo summa tui exordii. Triginta tyrannis patriam liberavit. Hanc tantam rem unum patrasse virum! Harmodio et Aristogitone is jure major videbitur, cui contigerit, ut patriam post exactum unum tyrannum occupatam ab altero, deinceps a tertio ad tricesimum, liberet eo, qui quoque tempore exstiterit, tyranno. Quid Thrasybulus? uno impetu illos triginta, vel, si velis ad amussim, undetriginta dejecit, poteritque ubique complurium virorum, quod unum omnium consilium esse nequit, facilius convelli imperium, quam unius. Non jam castigabimus pluribus membra male structa; quod est subjectum prioris membri, idem posterioris debet esse, verum non potest, quia sententia non patitur, de quo vid. Nipperdeii annot.

Tale est exordium tuum, Corneli, implicatum, obscurum, ambiguum, absurdum. Nec rari est exempli, quod proposuimus. In Aristide narras: aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit. Itane? quia aequalis, de principatu ideo contendit? At illustres sunt viri, quos describit. Ne omnes quidem viri illustres, qui aequales sunt, de principatu contendunt. Audi proxima: namque obtrectarunt inter se. Ut obtrectarint inter se, quanquam Aristidis anima candida ab obtrectatione afuit, ex eo, quod duo inter se obtrectant, non sequitur, principatus esse certamen. Iphicratem sic laudas: non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur. M. Tullius existimat in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Tu vero in tuo praedicas unam rei militaris scientiam: hanc enim disciplinam militarem vis intellegi, ut videtur — eumque tamen ducem statuis, quo nec aequalium nec priorum quisquam major! Pelopidam narras magis historicis quam volgo notum. Qui Romani litteris Graecis erant eruditi — quos tua aetate constat fuisse plurimos — non Pelopidam magis ignorabant, quam Dionem, Iphicratem, Chabriam, Datamem; qui Graecarum litterarum rudes erant — quod volgus erat — ne clarissimos quidem exte-

rarum gentium duces norant. Pergis sic: Cujus de virtutibus dubito, quemadmodum exponam, quod vereor, si res explicare incipiam, ne non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere. Verum hoc quidem est, aliorum vitam quasi quandam expressam imaginem esse suae aetatis rerumque, quibus interfuerunt, aliorum vitam suo consilio suaque voluntate regi ac formari, ut illi, nisi omni temporis ratione explanata, satis existimari non possint, hi e suis dictis rebusque recte indicentur: sed quid hoc ad Pelopidam? In Alcibiadem bene conveniat. Quid porro? In tuane Pelopidae vita videre licet, quanto opere sudaris et alseris, vitam ut scriberes, non historiam? Nihil minus. Res ejus, quae memorabiles fuerunt, verbo tangis c. 4; multis versaris in re explananda, cui, quamquam Pelopidas interfuit admodum adolescens, si Xenophontem, gravissimum testem, audis, certe non praefuit. Est Pelopidae vita tua talis, quales reliquae tuae. De alio vitio hujus praefationis post dicemus: h. l. perstringenda sunt ultima: Itaque —— medebor cum satietati tum ignorantiae lectorum. Ignorantiae vis mederi? Quid hoc? Ignorantiae hominum medetur, qui expellit eam, qui ex ignaris reddit bene gnaros. Id noluisti; contra aliquid dare ignorantiae lectorum h. e. ita scribere, ut vel rerum Graecarum ignari Pelopidae res intellegerent. Hoc non est ignorantiae mederi. Idem satietati vis mederi. Satietati cum medemur, removemus eam, ut rursus gustare quid possit, cui medicati sumus. Tu autem dicere volebas: cavebo, ne satietas vos capiat. Nolumus omnia tua persequi exordia unumque id addimus, quo Hannibalis vitam ornasti, si quidem ornasti. Si verum est, inquis, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum, Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Quid est, quod declarare vis? Summam, ni fallor, Hannibalis prudentiam. Atque hoc tibi volenti summa occurrebat populi Romani virtus, cogitabas igitur dicere, tantam Hannibalis fuisse prudentiam, quanta Romanorum esset virtus. At haec prudentiae significatio nondum perfecta tibi videbatur, addebas igitur: omnes gentes virtute esse superatas a Romanis, item omnes imperatores ab Hannibale prudentia. Haec etsi nimia sunt, recta tamen per se sunt nec cum ratione pugnant. Verum subiicis haec huic condicioni: si verum, populum R. omnes gentes virtute superasse. Ecquid e Romanorum virtute apta est Hannibalis prudentia? vel ex eo, quod Romani omnes gentes virtute superarunt, id fluxit, ut H. omnes imperatores prudentia vinceret? Nihil est, quo haec inter se contineantur. Post judicii tui caussam annectis: Nam quotiescunque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quid ex hoc recte concluditur? Potes hoc, si libet: Hannibalem Romanis ducibus superiorem fuisse belli scientia, virtute, auctoritate, felicitate; de ceteris imperatoribus praeter Romanos nihil quidquam potes colligere.

Talia igitur sunt exordia tua, Corneli; buccas inflas, exitque ventosa, ut ita dicam, et vana verborum natio.

In Thrasybuli exordio quamquam non sane pauca castiganda erant, gravissima tamen nota digna sunt, quae de triginta tyrannorum oppressorum laude jacis. Atque hoc fatale tibi videtur fuisse, ut in libertate laudanda aliquid tibi acciderit. In Timoleonte profaris: Namque huic uni contigit, quod nescio an nulli, ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret, et a Syracusis, quibus auxilio erat missus, jam inveteratam servitutem depelleret. Acumen tuum studiumque an modestiam pluris faciamus, incerti sumus. Quanto enim acumine quantoque opus erat rerum gestarum studio, ut hoc detegeres, in rerum memoria non reperiri alterum, qui et patriam et Syracusas tyrannide liberasset? Quaeque tua est modestia, egregie inventum dubitans pronuncias. Distinctum hoc idem exordium aliis est ornamentis splendidissimis. Verborum copia ita affluis, ut quod in Thrasybulo subtiliter scripseris: quod multi

voluerunt, pauci potuerunt, huic contigit: tam comptam orationem h. l. repetieris. Deinde, quod, qui terrae munere vescimur, patriam constanter dicimus et intellegimus eam, in qua quis natus est, tu quidem necesse habes scribere: patriam, in qua erat natus. Unde factum sit, ut tam absurdus esses, significabimus postea. In Pelopida cap. 2 § 3. Lacedaemoniorum dominatio dejecta celebratur. Initio posita est praeclara sententia: Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae, sed profecto nunquam tam ab tenui initio tantae opes sunt profligatae. Opes profligatas intellegis Lacedaemoniorum pugna Leuctrica. At Leuctrica pugna e temerario illo juvenum incepto non magis est apta, quam ex Alcibiadis discessu clades Atheniensium ad Aegos flumen. Hic si non discessisset, forsitan ad Aegos flumen non essent victi; adolescentes Thebani nisi optimatium duces trucidassent, fieri potuit, ut Leuctrica pugna non committeretur. Haec nulla est rerum consequentia. Post illam sententiam lectissimis verbis statum rerum Graecarum, qui illa aetate fuit, describis, tum sic ad rem accedis: Illi igitur duodecim, quorum dux erat Pelopidas, cum Athenis interdiu exissent —: cum canibus venaticis exierunt. Quo quid insanius dici aut fingi potest? Qui exierunt, exierunt! Ni fallit ratio, ornamenti cujusdam studium subvertit scriptorem. Multis locis apud M. Tullium talia reperiuntur, quale hoc: Stultitiam — et timiditatem — cum dicimus esse fugienda —, non ita dicimus (de Finn. 3 § 39.), aut hoc: Cum — decretum proditur, lex veri rectique proditur (Acadd. pr. § 27.).

In Thrasybulo cum post exordium ad res ipsas transit, sic scribit: Primum Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc. Alcibiades ab anno duodecimo belli Peloponnesiaci ad Siciliensem expeditionem multas res gessit, tantaque auctoritate floruit, ut inimici viderentur tyrannidis suspicionem in eum posse movere. In explicatissima eademque diligentissima Thucydidis narratione, quae est de illis Alcibiadis rebus, nusquam Thras. socius commemoratur consiliorum aut rerum Alcibiadis, nec apud alios scriptores ulla est Thrasybuli mentio, quae ad illa tempora referatur. Apparet igitur jam nunc, aliqua ex parte falsa esse, quae Nepos tradiderit. Sed videnda sunt postrema belli Peloponnesiaci tempora. Apud Thucydidem non affertur Thrasyb. ante vicesimum belli annum. Ibi a militibus, qui quadringentorum imperium jam ferre nollent, ducibus, qui praeerant, rejectis, cum Thrasyllo aliisque Thrasyb. dux creatur. Jam nihil antiquius habuit, quam ut Alcibiadem reduceret, cui reducto statim, qui ad Samum erant, summam rerum committunt, v. Thucyd. VIII, 82. Is, simulac summus dux constitutus est, his ipsis militibus, quorum opera fuerat restitutus, quam maxime Athenas cum classe ire cupientibus non paruit; qua in re adjutorem utilissimum exstitisse Thrasybulum auctor est Plutarch. in Alcib. c. 26; nimirum maxima omnium voce cum uteretur, gravissime milites increpuisse eorumque perculisse animos. Brevi post, eodem a. altero Ol. 92, cum Alcibiades Tissaphernem adisset, Atheniensium classes duobus proeliis Lacedaemonios superarunt ad Cynossema; in utroque Atheniensium duces nominantur Thrasybulus et Thrasyllus, v. Thucyd. VIII, 105. Diodor. XIII, 45. Duobus fere mensibus post ad Abydum concursum est; quamquam non appellantur, veri tamen est simile, eosdem praefuisse Atheniensibus; hoc certum, male ibi ab Atheniensibus rem esse gestam, dum Alcibiades cum duodeviginti navibus accurreret Lacedaemoniosque pelleret, vid. Xenoph. R. G. I, 1, 5 et 6. Secuta est a. tertio ejusdem Ol. nobilissima pugna ad Cyzicum commissa; interfuit Thrasyb., sed primas Alcibiadi communis defert scriptorum consensus. Tum Alcibiades Chalcedonem, Selymbriam et Byzantium cepit; afuisse videtur Thrasybulus. Is postquam Thraciae et Hellesponti multas urbes in Atheniensium dicionem redegit, a. primo Ol. 93 cum Alcibiade Athenas venit, ab eoque, cui summum imperium a populo erat datum, dux est constitutus, vid. Diodor. XIII, 69. Deinde nec in Alcibiadis oppugnatione Andri nec in infelicissimo proelio, quod Alcibiade absente ad Notium commissum est, Thrasybuli mentio fit ulla; Xenophonte R. Gr. I, 5, 11 teste Alcibiades hoc eodem tempore ad Thrasybulum

se contulerat Phocaeam. Jam Alcibiades, postquam ab irato populo imperium ei ademptum est, in Thraciam se recepit. In numero eorum ducum, qui post Alcibiadem remotum creantur, Thrasyb. non est, vid. Xenoph. R. G. I, 6, 16, nec ad Arginussas aut ad Aegos flumen commemoratur. Licebit igitur quodam jure statuere, Alcibiadis invidia oppressum etiam Thrasybulum esse. Noli enim Thrasybulum, Thrasonis filium, Alcibiadis adversarium, de quo est apud Plut. Alcib. c. 32, cum Lyci filio confundere. Haec omnia exposuimus, ut judicium de Nepotis narratione constaret. Thrasybulus igitur Alcibiadem reduxit solus sine Alcibiade, prospere pugnavit ad Cynossema sine Alcibiade, Thraciae Hellespontique urbes recepit tributaque exegit sine Alcibiade. Contra cum res in discrimine esset ad Abydum, Alcibiades fuit, qui Thrasybulum adjuvaret; ad Cyzicum suo consilio Alc. magnam rettulit victoriam, idem Byzantium, urbem potentissimam, sine Thrasybulo cepit. Ne Thrasybulum quidem ipsum fugit, quantum inter se et Alcibiadem interesset; quod nisi ita fuisset, non tantam dedisset operam, ut Alcibiadem reduceret. Athenienses quid sentirent, cum Alcibiades cum Thrasybulo et Theramene rediret Athenas, satis ostenderunt, de quo v. ipsum Corn. in Alcib. c. 6. In primis erat viris Alcibiades, isque multis in rebus adjutorem habebat Thrasybulum, sed eum adjutorem, qui Thrasyllo, Theramene aliis non esset major. Redimus ad Nepotem; quae priore membro dicit, aliqua ex parte vera sunt, quae altero, plane falsa, tota autem haec judicii ratio absurda, quia Thrasybuli res cum Alcibiadis contendi nequeunt.

Indicabitur h. l. statim, si fieri possit, absurdi judicii fons. Scilicet scriptor didicerat, contraria contrariis pulcherrime jungi. Supra tetigimus e Timoleonte illa: patriam, in qua erat natus. Postea ibi Syracusae erant commemorandae, quibus auxilio erat missus. Necesse igitur habebat, ut quasi verbum verbo exaequaretur, addere etiam patriae aliquid. In Pelopida scribit: vereor, si res explicare incipiam; post contrarium infertur: si tantummodo summas attigero. Incipiendi vis non convenit; fuse explicare et summas attingere contraria sunt. In Miltiade c. 2. finxit haec: ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus. Haec si de Cypseli filio dicuntur, falsa sunt, quia is non missus est in Chersonesum, sin ad Cimonis filium referuntur, item falsa, quia nec perpetuo imperium obtinebat in Chersoneso, nec eorum voluntate, apud quos erat, sed vi; vid. Nipperd. annott.

Illam Thrasybuli cum Alcibiade contentionem concludit his: quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri. Quae sunt universa? Non solum ea, quae ipse cum Thrasybulo, sed illa etiam, quae solus gesserat Thrasybulus? Haec est maxima calumnia. Non fuit is Alcibiades, qui aliorum sese plumis ornaret; centum chlamydes rogatus potuit ipse dare mille. Tum naturale bonum obscure dicis. Oratorem oportet multa a natura habere: linguae solutionem, vocis sonum, latera, vires, conformationem quandam et figuram totius oris et corporis; quae sunt Ciceronis de Orat. 1 § 114; brevi post § 117 idem scribit: Neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Illa igitur naturalia sunt bona oratoris. Apud eundem in Caelianae § 11 domestica disciplina et naturali quodam bono dicitur defendi posse morum corruptela; significatur igitur natura insita honestas: das angeborne sittliche Gefühl. Tu autem videris naturale bonum dicere astutiam vel vafritiam, qua, quae Thrasybuli erant, in se vis contulisse Alcibiadem. Deinde, quod verbum lucrifecit non solvitur tantum, sed ordine etiam inverso verbi partes ponuntur, non recte excusatur eis, quae ab interpretibus afferuntur, cf. Nipperd. ann. ad Alcib. 8, 1. Facile enim dirimuntur, quae non juncta sunt, sed, ut ita dicam, uno comprehensa loco, e quo genere sunt satisfacere, benefacere, quae fere iam separate scribuntur; facile item solvuntur, quae ita coaluerunt, ut sua utriusque vocabuli natura immutata esset, e quo genere verba sunt praepositionibus aucta; difficulter distrahuntur, quae copulata

ita sunt, ut prioris vocabuli natura mutaretur; quae si distraxeris, prior pars non erit aut vocabulum per se constans aut ea vocabuli per se constantis forma, quae cum altera parte sociari queat; talia sunt illa Varroniana: Consue quoque faciunt, excande me fecerunt, et Catonianum: Ferve bene facito, de quibus v. Ramsh. Gr. L. p. 1007, item hoc Plautinum: me esse hos trecentos Philippos facturum lucri. Atque hoc tertium genus, cuius sunt Nepotis verba, cascae relictum est antiquitati, ut ne poetae quidem aureae aetatis nisi rarissime ei locum darent; priora duo genera etsi raro, optimi tamen quique scriptores admiserunt nec dubitarunt in altero genere distractionis insolentiam augere collocata praepositione post verbum.

Transiturus ad „magnificentissimum factum“ Thrasybuli sententiolam de fortunae vi praemittit; rivulos suos videtur duxisse de Marcelliana, indicant interpretes. Incipit sic: Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortuna. Dubitantibus, quae sint illa omnia, succurrunt interpretes benevoli jubentque non ea cogitare, quae supra dicta erant, Alcibiadis et Thrasybuli res, sed similia *illis*. Esto; at divinare hoc quidem est, non interpretari. Post eadem interpretum ars repperit — quid enim non repperit? — quantum interesset inter vires vimque pugnantium. Vires enim singulorum intellegendas, vim communem omnium impetum. At haec est diligentia, laudanda illa quidem in centurione, qui, quem ad modum sit proelium commissum, refert imperatori absenti; a scriptore, qui excellentium ducum vitas adumbrat, alienissima. In hac dubitatione nec illud praetermitti debet, quam sit imperfecta sententiola. Quod res saepe abit a consilio imperatoris ad vires pugnantium, fit, ut imperatori laus communicanda sit cum militibus; qui cum fortuna, de eo nihil in hoc enunciato. Quodquoniam etiam in proximis miles et fortuna separatim ponuntur, in prioribus aut summa scriptoris infirmitas mentis accusanda est, aut mendum in verbis: ad vires vimque pugnantium statuendum; plana haec essent, si scripsisset: ad vires pugnantium vimque fortunae. Postea cum ad „magnificentissimum factum“ accedit, crassa Minerva dicit: Quare illud magnificentissimum —. Non enim ideo, quod fere militum fortunaeque bona pars est rerum bene gestarum, patriae liberatae laus Thrasybuli est propria, sed quia et solus instituit patriam liberare et cum paucissimis perfecit.

Jam primo loco coniuncte res percurremus, quas narrat gestas ad XXX tyrannos eiiciendos. Digni sunt, qui consulantur de his rebus Leake in descriptione Athenarum et Sievers de Rebus Graecis post bellum Peloponnesiacum gestis.

Nunquam Thrasybulus Phylam confugit, sed Thebas fere vel Megara concesserant, quibus contigit, ut ex urbe evaderent, vid. Xenoph. R. G. II, 4, 1. Thebis cum paucis profectus Thrasybulus Phylam occupavit, ita Xenophon, Diodorus et quicunque hanc rem attingunt. De numero amicorum et sociorum, quos secum habuit, dissensus est scriptorum, plus quinquaginta, qui minimum, afferunt, plerique cum Xenophonte septuaginta, v. Nipperd. annot. Castellum Xenophon dicit munitum, Nepos cum Diodoro munitissimum. Ubi nuntius de Phyla occupata Athenas perlatus est, confestim XXX tyranni exeunt Phylamque oppugnant; multis primo impetu amissis cum obsidione castellum cingere instituerent, nivium, quae proxima nocte cadebant, multitudine in urbem redire coacti sunt. Cur nives tantum valuerunt? Scilicet cum illo nuncio exierant, ut erant expediti, nihil ut haberent, quo se a nivibus defenderent. Manifestus igitur error in eo est, quod primo Thrasybulum contemptum volt esse a XXX tyrannis. Qui quamquam redierunt ipsi, praesidium tamen prope Phylam constituerunt. Id Thrasybulus opprimit, in fugum dat. Licet mirari, quod haec plane neglexerit Cornelius; nactus enim occasionem esset prudentiae Thrasybuli tollendae. Deinde quae gesta sunt, etsi in magna Xenophontis brevitate plane evidenter omnia exponi non poterunt, judicium tamen de plerisque satis constabit. Noctu Thrasybulum in Piraeeum venisse Xenophon refert, Diodorus perspicue addit, occupatam etiam esse Munychiam, collem desertum et firmum. Con-

sulenda h. l. est mappa topographica, quae annexa est Leakii descriptioni Athenarum. Munychia erat peninsula, ad quam a terra unus erat aditus per Piraeeum; loci igitur natura ea erat, ut facile defendi posset. Porro X. tradit, XXX tyrannos certiores factos de re, quae noctu esset gesta, statim exisse cum robore copiarum viamque tenuisse, quae in Piraeeum duceret. Piraeeus aberat Athenis quinque milia, paucis ut horis et nuntius rei Athenas perferri posset et exitus instituí. Exsules contra primum in campo hostibus occurrere conati sunt; patet igitur, brevissimo tempore post Piraeeum captum in campum esse egressos, ubi hostes opperirentur. Minimum igitur temporis aut nullum supererat, quod in Munychia operibus firmanda, si quidem usus erat, collocarent. Consilium proelii committendi, quod inierat Thrasybulus, perspicue a Xenophonte exponitur. Hominum multitudine cum superiores videret hostes, campo relicto, contractis suis, quos late antea disposuerat, versus Munychiam se recepit; hostes sequi, pugna fit in via, quae ad templum Dianae Munychiae ferebat, in ipso montis vel collis ascensu, qui erat in peninsula Munychia; exsules cum hostium impetum fregissent, persequuntur eos ad plana loca. Nominatim Xenophon affert duo e triginta et unum eorum, qui antea Piraeei decemviri fuerant, interfectos, praeter hos septuaginta hostes esse caesos, caesis arma adempta, vestes relictas, de more inducias factas ad caesos colligendos, utriusque partis multos inter se collocutos, Cleocritum quendam de pace facienda monuisse, postremo XXX tyrannorum qui superessent suos reduxisse in urbem. De his una in re discrepat Diodorus, nam post rejectas tyrannorum copias exsules auctos magna eorum copia, qui ad eos transissent et undique ad eos confluxissent, impetum fecisse in hostes et vicisse. Cum hac, si non fusa, at explicata memoria Xenophontis, ejus, qui Atheniensis ipse reique militaris bene gnarus illas res viderat, si Cornelii narrationem contendimus, haec quidem obscura, manca incertaque debet videri. Cum semel Munychiam statuisset munitam operibus, priorem errorem hic alter excipit, ut oppugnatam dicat; addit bis oppugnatam. De effusa fuga nihil apud X. nec apud alium scriptorem, nec de armis impedimentisque amissis. Qui caesorum colligendorum caussa consistunt, non sunt in fuga effusa. Cum caesi armis exuuntur, non amittuntur arma omnium. Ad victum quae pertinerent, a Lacedaemoniis ceterisque, qui cum XXX tyrannis exierant, multa esse secum lata, incredibile est. Diodorus, qui bis concursum esse narrat, Critiae tamen caedem ad priorem concursum refert, quem unum X. annotat; Critiam quasi singulare certamen cum Thrasybulo inisse, praeter Nepotem nemo tradit. Postquam Piraeeus ab exsulibus captus est, Lysander optimatibus celerrime auxilio venit, Piraeeum terra marique clausit, eosque, qui in Piraeeo erant, in summum discrimen adduxit. Sed Lysandro brevi Pausanias supervenit, sive invidia ductus, sive quod Lacedaemonii Lysandri auctoritatem timebant, omniaque egit, ut inter Atheniensium factiones conveniret. Pausania conciliante in gratiam redierunt his tribus condicionibus, ut arma ponerent utrique, ut ad sua quisque rediret, exceptis XXX tyrannis, undecimviris et decemviris, qui in Piraeeo dominati erant; qui non satis tuto in urbe posse esse viderentur, Eleusina commigrarent. Quibus constitutis e Piraeeo exsules in urbem venerunt, Minervae sacra fecerunt, tum Thrasybulus pro concione verba fecit, bonoque animo jussit cives esse et antiquis uti legibus. Quibus factis magistratus creantur. Post, qui jam Athenis erant, certiores sunt facti, Eleusina copias cogi. Itaque Eleusina omnibus copiis profecti duces ad colloquium evocatos occidunt, amicos necessariosque ad eos, qui Eleusine erant, miserunt pacis caussa, pace facta jurarunt, injuriarum se immemores futuros. In his Xenophonteis omnia tam sunt apta inter se et convenientia, ut veritatis notam habere videantur. Remotis, qui in summo odio fuerant, ceteri cives communiter videbantur rem publicam posse habere, si qui tamen de salute solliciti essent, iis concessum, ut Eleusina se conferrent et, quae in urbe agerentur, interim inde observarent. E ceteris scriptoribus, qui harum rerum mentionem faciunt, unus Andocides de myst. § 81 Bekk. potest videri cum Xenophonte dissentire; dicit

enim haec fere: postquam in urbem redistis, jurastis injuriarum vos immemores futuros. Sequuntur jam ea, quae de re publica sunt decreta. At illi quidem dissensui non ita multum tribuendum est. Neque enim Andocides id agit eo loco, ut singulas res, quemadmodum sint gestae, afferat, sed ea persequitur, quae ad rem publicam constituendam legesque ferendas, postquam in urbem reditum i. e. postquam pax facta est, ab Atheniensibus instituta sunt.

De auctore nobilissimae legis nihil est apud Xenophontem, cum Nepote facit Val. Max. IV, 1. exter. 4., Archinum appellat Plutarch. de glor. Ath. c. 3; Aeschines de fals. leg. § 176 Bekk., cum Archinus et Thrasybulus praeessent populo, latam legem scribit. Hoc autem uni debebatur Archino, quod lege lata concessum est, ut, qui esset factus reus, testaretur ante ipsam rem agendam, accusationem pugnare cum oblivione, cf. Meier. et Schoem. de jud. Ath. p. 647.

Praemia victoribus data unus affert Aeschines contra Ctesiph. § 187 Bekk.; cunctis datas mille drachmas, coronas ex olivae ramis factas singulis.

Multi in his quoque errores apud Nepotem sunt. In iis, qui pace non continebantur, non affert eos, qui post ipsos triginta maxime invisi fuerant, undecimviros et Piraeei praefectos, affert eos, quorum etsi non grata, brevior tamen fuerat dominatio, quam qua summum conflaretur odium. Tum si non falso, certe inutiliter addit, bona ejectorum publicata esse, exsilium enim non erat sine bonorum publicatione, cf. Meier. de bon. damn. p. 98. Porro rei publicae procurationem redditam populo non testatur Xenophon, suo jure, ut videtur. Pausaniam scimus pacis fuisse conciliatorem, quem, ut Lacedaemonium, vix credibile est in pacis condicionibus hoc edixisse, ut populare imperium restitueretur; idque eo minus necesse erat, quo magis constabat fore, ut a populari parte victrici populare restitueretur imperium. Deinde oblivionis auctoritas non satis certo ad unum Thrasybulum refertur. Tum in proximis vix rectum est, quod publice dicitur Thr. prohibuisse, ne legem illam migrarent. Publice enim nec vetari quidquam nec juberi poterat, nisi lege. Atqui lex, quae id caveret, Archini erat, non Thrasybuli. Fuisse autem exsules, qui adversariorum caedem facere vellent, etsi alibi non legimus, a re tamen non abhorret. Denique corona unum Thrasybulum tradit donatum, quam scimus cum omnibus exsulibus communicatam, pecuniaeque datae nullam omnino facit mentionem.

Haec habuimus, quae in Nepotis narratione earum rerum, quae ad patriam XXX tyrannis liberandam gestae sunt, conjuncte notaremus; restat, ut alias res persequamur, quae insunt in hac parte vitae Thrasybuli. Non moramur XXX tyrannos a Lacedaemoniis praepositos, damusque, qui universam rem breviter velit significare, posse sic scribere. Sed quod subjicit, plurimos cives, quibus in bello fortuna pepercisset, partim patria pulsos esse, partim interfectos: id quidem ineptissimum est; nempe, quibus in bello non pepercerat fortuna, nec expelli poterant, nec interfici. Est apud Diodorum, ni fallimur, brevi triginta tyrannorum saevitia plures cives interfectos esse, quam bello Peloponnesiaco longissimo; quam vere dicatur, nunc non quaerimus, sed suspicari licet hoc obversatum Nepotis animo esse, cum illud ineptissime scriberet. P a r s e r a t cum Plauto et Terentio dicit. Bona publicata non omnia inter se ipsi diviserunt triginta, sed cum amicis etiam communicarunt. P l u r i m i, quorum bona divisa dicuntur, alii debebunt videri atque illi plurimi, qui ejecti aut interfecti erant; ejecerunt autem triginta tyranni vel interfecerunt, ut bona raperent. Thrasybulus his b e l l u m i n d i x i t; quia de fecialibus cogitare non licet, interpretes docent: a n i m o bellum indixisse. Quam pulchre! Atque hoc bellum n o n s o l u m p r i n c e p s, s e d e t i a m s o l u s i n i t i o indixit. Fere inventorem vel auctorem rei primum eam fecisse dicimus, licet multos rei socios habuerit, sic Hannibalem Alpes primum superasse, sic Horatius: illi robur circa pectus erat, qui ratem pelago commisit primus. At si urgendum est vocabulum p r i m u s, nemo primus quid agit, nisi solus, nam qui secundus est, post eum est, sive magno proximus est intervallo, sive parvo. Atqui urgendum

est h. l. vocabulum primus, quia contraria ponuntur: princeps et solus, ergo princeps idem qui solus. Ceterum illud bellum indicere nihil erat aliud, quam Phylam occupare; Phylam occupavit, Cornelio auctore, cum triginta sociis. Ergo ne initio quidem solus.

Capite secundo scribit: Hoc initium fuit salutis Actaeorum, hoc robur libertatis clarissimae civitatis. Rectum hoc, quod Phylam occupatam statuit initium salutis Atheniensium; quid? eademne occupata robur erat libertatis? Noluit hoc; Thrasybulum cum suis intellegit, ni fallimur, illud robur. Hoc est autem insultare legentibus, cum idem vocabulum sic ponis bis, ut altero loco non possit nisi eadem res intellegi, quae priore, non eandem rem intellectam velle, sed aliam. Accedit, quod etiam robur libertatis oblique h. l. dicitur. Robur civitatis sunt robustissimi cives, robur igitur libertatis dici possunt, qui libertatem tuentur, sed ejus libertatis, quae non est, non potest esse ullum robur. Tum Actaei nescio an risum Latine scientibus moverint. Post § 2 et 3 loci tractandi appetitu abripitur. Non tam stulti erant tyranni, ut Thrasybulum contemnerent, de quo supra. In verbis ipsis multa magnaque offensio est. Male divelluntur Thras. et solitudo particula: atque; neque enim tyranni, si contempsissent, Thrasybulum ipsum contempsissent, verum solitudinem. Solitudo ejus, qui certe triginta secum habet, coacte dicitur. Contemptum tradit illis contemnentibus pernicii fuisse, et huic despecto saluti. Pernicii antiquitatem redolet; tum singulari numero h. l. significat unum Thrasybulum, proximo membro eandem partem notat, cum scribit: hos-robustiores. Ibidem comparare nude dicitur non sine exemplo, sed contra vulgarem usum. Comparatis, quae ad belli usum erant necessaria, non robustiores sunt facti, sed validiores. Illud autem praeceptum, quod est: nihil in bello oportere contemni, et multis locis apud omnes gentes animadversum est, quam esset verum, nec in ficto casu triginta tyrannorum major est monitionis vis, quam in ceteris, in quibus similiter peccatum est. Itaque non erat, quod scriberes: quo magis. Id autem praeceptum volt esse in omnium animis; at, ut sciant, non refert omnium, sed bella gerentium. Habebat praeterea proverbium in promptu, quod agglutinaret: matrem timidi flere non oportere. Poterat hoc recte sic apponere, ut scriberet: neque sine causa dicitur; verum totam constructionem pervertere maluit, infinitivo temere posito. Ceterum easdem tragoedias excitat in Pelopida cap. 2 et 3, item alienissimo loco, quod ne a Thebanis quidem optimatibus conjurati sunt neglecti. Opes Thrasybuli § 4 narrat non pro opinione esse auctas; auctas ita scimus, ut septingentos paucis diebus haberet, mille, cum in Piraeeum veniret; haec incrementa num pro opinione fuerint, nos quidem nescimus; Cornelius hariolatur, non fuisse. Caussam rei adjungit: jam tum illis temporibus — quam haec egregia verborum copia! — fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. Quam sententiam quam inepte ad Thrasybuli aetatem rettulerit, brevissime licet convincere. Nam ad Thrasybulum tot confluxerunt, quot satis erant ad triginta pellendos; pepulerunt armis usi, non verbis; ergo fortiter pro libertate pugnabant, non loquebantur. Demosthenis querelae notissimae sunt; iidem Athenienses, in quos orator nobilissimus tanto opere invehitur, fortissime ad Chaeroneam decertabant. Est praeterea aliud quiddam in proverbio, cur male adhibitum videatur. Cornelii enim aetate constanter boni intelleguntur optimates; qui ad Thrasybulum accurrebant, plerique non optimates. Contra apprime cadit in optimates, qui Cornelii aetate erant. Nemo fortior in loquendo, quam M. Tullius, nemo eodem timidior, cum ad agendum ventum est; is tamen ipse, quamvis timidus, longe fortior aliis, ut T. Pomponio, quem noster scriptor bonum civem appellare audet, cfr. Attic. c. 13. Post § 5 dicit: Hinc in Piraeeum transiit; hinc referri debet ad Phylam, quae duodecim versibus ante appellata erat. Durum esse significant interpretes, ego dixerim insanum. Prudentia etiam Thrasybuli collaudanda erat, itaque § 6 tradit: cedentes violari vetuit, cives enim civibus parcere aequum censebat. Neque quisquam est volneratus, nisi qui prior impugnare voluit.

In dissensionibus civilibus, cum praesertim res ad arma redierit, effrenatissima regnare solet cupiditas ulciscendique ardor summus, non illa temperantia, quae vel honestatem vel utilitatem respicit. Magnam igitur justamque Thrasybuli laudem tacuissent, qui de his rebus scripserunt, si vera essent, quae sunt apud Nepotem. Priorem narratiunculae partem a vero abhorrere, supra diximus; hoc loco paucis alterius partis fons indicandus est. Xenophonte teste R. G. II, 4, 13 haruspex profatus est eo ipso tempore, quo pugna committenda erat, ne ante impetum facerent exsules, quam quis suorum vel occisus vel volneratus esset. De hoc fonte derivatum est, quod scripsit, neminem volneratum esse, nisi qui prior impugnare voluerit. Nimirum haec si fingebantur vel certe in Thrasybulum conferebantur, egregia sententia orationem licebat distinguere.

Capite tertio leve est, quod d e j e c t u m scribit Critiam, qui est caesus; dejici gladiatores dicuntur, cum adversario cedendum est. Non ita leve, quod a L a c e d a e m o n i i s l a t u m narrat a u x i l i u m A t t i c i s, quum et qui urbem tenerent, et qui Piraeeum, Athenienses essent; non ita leve, quod A t t i c i appellantur, qui constanter ab optimo quoque scriptore A t h e n i e n s e s nominantur. Ibidem § 1 verba: q u i s u p e r i o r i s m o r e c r u d e l i t a t i s e r a n t u s i a simplicitate dicendi valde abhorrent. In proximis § 2 scribit: e a m q u e i l l i o b l i v i o n i s a p p e l l a r u n t. Illi qui sint, frustra quaeres in prioribus; Cornelius quin voluerit Athenienses, dubitari nequit. Si Athenienses intelleguntur, non possunt alii quam Thrasybuli aequales. Atqui nec apud Xenophontem aequalem *ἀμνηστίας* est vocabulum nec apud ullum scriptorem, qui non multum abest ab illa aetate; in Lexicis e Plutarcho primo excitatur, Hinrichsii quae de hoc vocabulo exstat annotatio, cfr. Sievers l. c. p. 87, non ad manum est. Satis igitur incerta res de nomine legis invento, quam quidem rem Cornelius certissimam pronunciat.

Cap. quarto post coronam commemoratam adjicit: q u a m q u o d a m o r c i v i u m e t n o n v i s e x p r e s s e r a t. Zeugmatis haec est vis, ut brevior sit oratio, et hic modus, ne obscura reddatur. Atque hoc quidem modo longe plurima Zeugmata continentur; est autem, quando licentiae aliquid datum sit, atque brevitati ita consultum, ut perspicuitas dicendi tolleretur. Hoc fit, ubicunque contraria colliduntur, velut apud M. Tullium in orat. pr. Rosc. Am. § 22: cum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet. Sed ex hoc ipso genere tolerabilior ea est species, quam Madvigius descripsit ad II, de Finn. § 79, ubi in priore membro speciale est verbum; longe impeditior ea ratio, quae est in illis verbis, quae supra ascripsimus; hic enim quasi cursus legendi sustinendus redeundumque est ad partem orationis antea desertam, ut jam, quid valeat, percipiatur. Atque hoc quidem, quod diximus, incommodo quam maxime Cornelii illa verba premuntur. Accedit aliud quid, quo nos, quotiescunque Nepotis verba legimus, quam maxime laesos esse fatemur. Adversis frontibus pugnare amoris et exprimendi vim statim sensus ipse clamat; in illis, quae M. Tullius scripsit, mens est index, non sensus. Itemque in proximis inest, quod inconcinnum sit; apte dicitur c o r o n a n u l l a m h a b e r e i n v i d i a m, i. e. nullam afferre invidiam, inepte m a g n a g l o r i a e s s e i. e. gloriam ipsa habere.

Crassum orationis filum est, cum § 2 dicit: Bene e r g o Pittacus —. Quo vinculo continentur Thrasybuli corona et Pittaci dictum? Poterat dicere, memorem Thrasybulum fuisse Pittaci eoque ampliora non cupisse; at nesciebat Cornelius, Pittacine an suam sententiam secutus esset Thr. De Pittaco Mytilenaeo et munere ei oblato cum multum discrepent inter se scriptores, qui rem referunt, tum Cornelio convenit cum nullo; quid verum, inquiri jam non poterit. Inusitate N. dixit a n i m i a e q u i t a t e m, ut significaret modestiam. Infert postea consilii Pittaci caussam hanc: N a m p a r v a m u n e r a d i u t i n a, l o c u p l e t i a n o n p r o p r i a e s s e c o n s u e r u n t. Quid hoc? „Ut videatis, quam sim modestus, nolo plus centum jugera, quod vereor, ne, si amplius sumam, ab invidentibus mihi eripiatur“. Tum munera largissima vel maxima audacter l o c u p l e t i a appellan-

tur. Locupletes homines et urbes sunt multarum rerum copia ornatae, locuples annus ap. Horatium est, qui pleno copias cornu effundit hominibus; locuples aquila apud Juvenalem acerbissime de centurionatu est divitias afferente. Poteris igitur cogitare munera, quae locupletem reddant; quod si facies, contrariorum vim tolles. Redit proximis ad Thrasybulum scribitque: Illa igitur corona contentus Thr. neque amplius requisivit neque quemquam honore se antecessisse existimavit. Decretus ille honor est a magistratu, ut accipiendus esset is, qui esset decretus. At efficere forsitan licuerit, ut aurea corona decreta sit, qua Alcibiadem donatum esse scribit Nepos in Alcibiade. Conjicere quidem haec et talia licebat, non licebat vera afferre. In altero membro rursus in animum Thrasybuli ipse inspexi.

Perventum est tandem ad ultimam paragraphum. Quarto decimo a. post patriam liberatam cum XL navibus in Asiam mittitur, qui Lacedaemoniis officeret. Rebus bene gestis magnaque pecunia coacta cum ex aliis urbibus, tum ultimum ex Aspendo, rediturus iam Athenas ab Aspendiis, qui ab ejus militibus male habiti erant, opprimitur atque interficitur. Sic Xenophon R. G. IV, 8, 30. Aspendus autem Pamphyliae erat, non Ciliciae, vid. Bosius ad h. l. et Aspendii Graeci erant, non barbari.

Ad alteram disputationis nostrae partem transeundum ac singulis quibusque momentis colligendis, disponendis et examinandis, qualis sit scriptor Cornelius Nepos, brevi efficiendum est. Ac primum quidem videbimus, qua ratione res ipsas scripserit. Perlustra animo, quae supra commentati sumus de rebus gestis, quae in Thrasybulo commemorantur: plena errorum omnia esse reperies. Non occurrit fere, quod plane verum sit, nisi principium illud: Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis. Ex iis, quae Thrasyb. bello Peloponnesiaco gessit, magna profecto laude dignum hoc est, quod ejus maxime opera Alcibiades revocatus est, qui afflictissimas Atheniensium res brevi admirabiliter restituit; de hac tanta laude nihil Corn. Nepos; satis habet de bello Peloponnesiaco pauca jecisse verba, quae nihil continent nec vera sunt. Porro quae de triginta tyrannis superatis narrat, in iis gravissimos commisit errores. Non dicit, Thrasybulum antea Thebis fuisse, quam Phylam occuparet, sed statim confugisse Phylam, multo pauciores rei socios numerat, quam reliqui scriptores, contraque constantem gravissimorum testium fidem fingit, contemptum Thrasybulum a tyrannis esse; scribit Munychiam operibus esse munitam ab exsulibus, quod fieri vix potuisse supra ostendimus, indeque fingit, quasi urbs esset, oppugnatam a XXX tyrannis Munychiam, et bis quidem oppugnatam, cum gravissimus auctor Xenophon testetur, semel prope Munychiam certatum esse; fingit item, XXX tyrannos armis impedimentisque amissis in urbem refugisse. Quod Xenophon narrat, exsules, quominus pugnae initium facerent, esse prohibitos religione: Cornelius inde efficit, neminem esse volneratum, nisi qui impugnaverit prior; scit etiam hoc, exsules vetitos esse, ne cedentes volnerarent. Critiam facit caesum ab ipso Thrasybulo, ut videtur: de eo nulla praeterea est mentio. Plane tacet, in quanto periculo fuerit Thras., quo tempore Lysander XXX tyrannis auxilio venerat. In pacis condicionibus afferendis tanto opere labitur, ut omittat, quae sunt gravissima, quae supervacanea sunt, affingat. Oblivionis legem ad unum refert Thrasybulum, de quo magna certe dubitatio est. Rationem praemiorum, quae exsulibus sunt data, plane immutat. Denique de extrema expeditione obiter commemorat, tacetque Thrasybuli insolentiam, nec in singulis rebus sine vitio est. Hi sunt tot tantique errores, vix ut quidquam veri in rerum expositione relinquatur. Qui unde sint orti, si fieri possit, indagandum est. In numero errorum, qui proprie ita appellantur, licebit habere, quod Munychiam, ipsa loci natura satis validam, scribit a Thrasybulo munitam, quodque hoc impeditus errore oppugnatam fingit; fortasse etiam, quod in extrema expeditione Ciliciam nominat pro Pamphylia, barbaros pro Graecis; hi errores vel neglegentiae sunt, vel ignorantiae. Quod nescit ullam Alcibiadis rem bello Peloponnesiaco sine Thrasybulo gestam, incertum potest esse, mendaciumne an error appellandus sit; nam in Alcibiadis vita c. 5 § 5 quinque numerat ter-

restria proelia, tria navalia, quibus post Alcibiadem restitutum superati Lacedaemonii sint, numerat adeo naves a Lacedaemoniis amissas; qui minute haec collegerit, consentaneum est vidisse eundem, quae in his rebus partes Alcibiadis fuissent, quaeque Thrasybuli. In aliis, quae narrat, falsorum studium manifestum est. Tacet Thrasybulum Thebis fuisse. Scilicet Thebani, quamquam a Spartanis vetiti exsules Athenienses recipere, receperunt, et quo modo cunque poterant, consilia eorum adjuverunt. Quod si attulisset Corn., minor sane Thrasybuli laus esset, qui non suo consilio suisque solius opibus XXX tyrannos petisset. Quia autem constanter a ceteris scriptoribus Thebanorum eorumque auxilii mentio fit, necesse est statuamus, consilio Nepotem Thebanos non memorasse. Sociorum paucitatem ad Thrasybuli laudem valere amplificandam patet. Contempti hostis victoria de hoste longe validiore relata multo est illustrior, quam ejus, qui terrorem antea iniecerat; ex eodem fonte manarunt etiam non auctae opes, arma impedimentaque triginta tyrannorum amissa. Quod Thrasybulus suos jussisse dicitur arma tantum interfectorum detrahere, vestes exuere vetuisse, in eo suae utilitati suorumque saluti prospexit, ut insignis quaedam prudentia in eo non cerneretur. Finxit etiam, quo religionem Thrasybuli laudibus ornaret, cedentes vetuisse volnerari aut quemquam peti, nisi qui prior impugnasset, nec cogitavit, Thrasybulo sic dari, quod in ejus potestate non esset, aut, si fecisset, imprudenter fecisset. Critias, qui ex omnibus triginta in maximo odio esset, Thrasybuli manu caesus quantae laudi! Ne tam praeclara res ulla unquam ex parte videretur afflicta fuisse, non commemoravit Lysandrum. Ni fallimur, hoc etiam ad laudem Thrasybuli valere voluit, quod in pacis condicionibus ponit fuisse, ut populare imperium restitueretur. In iis, quae de oblivionis lege narrat, plane abripitur laudandi studio; denique in praemio afferendo impotens est sui. Constabit iam, si quid video, de hoc genere falsorum.

Atque prius quidem genus errorum erunt qui excusare malint, quam accusare. Quamquam haec non satis idonea videtur excusandi ratio, qua Car. Nipperdey utitur, cum Cornelium primum e Romanis Graecas res scripsisse dicit. Non negamus, hanc justam futuram caussam, si ante Cornelium Romani omnino a Graecarum rerum cognitione alieni fuissent. At ex eo tempore, quo Graecae litterae Romam sunt tralatae, omne genus Graecorum librorum scimus a Romanis esse lectitatum; testis ipse Cato, Graecis litteris diu infestus, qui in Originibus Q. Cedicium cum Leonida comparat, cfr. Gell. N. A. III, 7; contra alia erat caussa, cur Romani ad res vel suas vel aliarum gentium Latine illustrandas animos non adverterent. „Nemo enim, ut ait Antonius ap. M. Tullium de orat. II § 55, studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in caussis atque in foro eluceat, historicos autem noluerunt rerum esse narratores, sed exornatores, cfr. ibid § 54 ipsumque Cornelium in fragmento Guelferbytano dubitantem „interitu M. Tullii utrum res publica an historia magis doleat." Graeci igitur fontes rerum Graecarum Nepotis aetate adiri poterant ab omnibus, qui in rebus Graecis cognoscendis vel scribendis operam collocare vellent, nec aditos a Nepote non esse, ipsius testimoniis luculenter apparet. Itaque, verum si quaerimus, excusari non magis videtur posse, quod errat in Graecis rebus, quam quod in Romanis labitur. Convincitur autem alia re, quam sit nulla ista excusatio. Evolve eas vitas, quae res Romanas tractant, Hamilcaris, Hannibalis, Catonis, Attici; grassatur in his quoque Nepos non minore neglegentia. Non urgebimus, quod in Attico c. 14 § 3 villam fuisse Attici suburbanam negat, in quo dubito majorne sit Nepotis vel neglegentia vel simulatio, qui hoc neget, an interpretum acumen, qui, quod fieri potuerit, ut „brevis dominus" villae Atticus esset, oblitum esse hoc Nepotem fingant, aut non negasse, habuisse Atticum villam, sed habuisse sumptuosam dicant. Uno eoque luculentissimo exemplo rem perficiemus. Quia in historicis Latinis vita Catonis ponitur, quamquam civem senatorem et imperatorem potius describit, quam historicum, satis tamen apte de Originibus pluribus exponit. Origines quin in manibus habuerit, dubitari nequit. Jam vide, quo modo munere, quod suscepit, fungatur. Nominatim primum librum ad quintum affert, sextum septimumque non affert. In secundo et tertio libro, si Nepotem audis,

de rebus Romanis nihil memoratum esse opinabere; verum cum quarto libro contineatur bellum Punicum primum, duo saecula et dimidium, quae erant a regibus exactis ad id bellum, secundo tertioque libro comprehensa fuisse patet. Iisdem saeculis cum Romani cum plerisque Italiae civitatibus concurrerent, optima ibi erat facultas data Italicarum originum exponendarum. Post librum quintum allatum addit: Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Capitulatim dicere nihil potest esse nisi summas res attingere, ut, si Nepotem sequare auctorem, Catonem epitomas scripsisse statuas. At e fragmentis Originum certissime intellegitur, in omni antiquitate explicanda versatum esse, non tantum in rebus gestis. Sin capitulatim verbo abusus idem voluit esse quod breviter, exceptis iis rebus, quibus ipse interfuit, recte dicitur; constat enim, orationem, quam pro Rhodiensibus habuit in senatu, in Originibus fuisse. Graviter cum subjecisset post quinque priores libros: Atque haec omnia capitulatim sunt dicta, sponte haec sententia oboritur, ut in reliquis libris aliam initam esse scribendi rationem existimes. At scriptor statim: Reliquaque bella pari modo persecutus est. Male etiam hoc scripsit: reliquaque bella, quasi nihil nisi bella rettulerit ultimis libris; at ipse paucis versibus post: in iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. Tum reliqua bella persecutum dicit usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Ser. Galba, qui praetor fuerat a. 603, pro praetore a. 604 bellum cum Lusitanis continuavit; praeturae anno male rem gessit, postero anno „Lusitanos citra Tagum habitantes, cum voluntarios in deditionem recepisset, per scelus interfecit", teste Orosio IV, 21. Jam certis testimoniis constat, cum L. Scribonius tulisset, „ut qui a Ser. Galba venissent Lusitani, in libertatem restituerentur", Catonem acerrime id suasisse, v. Epitom. Livii l. XLIX, et Catonis orationem in Originibus positam fuisse, cfr. Gell. N. A. XIII, 24. Porro M. Tullius in Bruti § 80 testis est, M. Catonem hanc habuisse orationem eodem anno, quo mortuus est; quem annum veri est simile a. 605 esse; cfr. Fischeri rerum Rom. tabulas ad h. a. Ex his consequitur, Origines non esse perductas ad eum annum, quo praetor fuerat Ser. Galba, nec ad eum, quo pro praetore Lusitanorum fidem turpiter fefellerat, sed ad tertium annum; nec extremum locum Originum habuisse res a Galba gestas, sed post has accusationem Galbae reducis esse narratam. Facilis etiam conjectura est, belli Punici tertii gerendi mentionem a Catone factam esse; quamquam enim ante ipsum bellum inchoatum vita exiit, „Catonis tamen sententia pervicit, ut in decreto perstaretur et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur", v. Epit. Liv. l. XLIX. Praeterea hoc etiam annotandum est, quam non accommodate ad rem scripserit: diripuit Lusitanos. Addit post: Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. Videtur scribere voluisse aenigmata! Planum erat narrare, consulibus ceterisque cujusque anni magistratibus in principio cujusque anni notatis, additoque, quae cuique provincia esset decreta, consulem vel praetorem dixisse in sua provincia hoc illudve egisse; quod simplicissimum erat, nescio quo modo suis verbis obscuravit. Postrema, quae de Originibus afferuntur, quia scriptura incerta est, nunc omittimus. In Catonis igitur vita de praestantissimo ejus libro, quem in manibus habebat, data explicat opera, et ita explicat, ut falsa alia, alia parum accurate, alia obscure dicta hodie convincere possimus.

Accedimus ad alterum genus errorum, quae rectius falsa dicuntur. Consilio enim scriptor pro veris attulit, quae falsa essent, ut laudibus efferret suum Thrasybulum. At, inquis, difficile est laudem non scribere, cum vita scribitur. Dandum hoc est, caveri difficulter a vitae scriptore, ne, quae non ita sint laudabilia, vel praetereantur, vel eleventur, damus etiam hoc, quae sint mediocriter gesta facile pro bene gestis vendi, sed qui pro veris falsa ponit sciens, nae iste non est vitae scriptor, sed — rhetor vel is homo, qui vel Phalaridem aliquem laudare non dubitet.

Haec est hujus scriptoris tractatio rerum gestarum. Studiose si omnia conquaerantur, quae ubique de Thrasybulo sunt, vix dubitamus, quin unum alterumve reperiatur, quod praetermissum ab isto scriptore mireris. Tale responsum est illustrissimum, quod servavit Valer. Max. V, 6 ext. 2,

ubi quaerenti cuidam socio: Quantas tandem tibi Athenae, per te libertatem consecutae, gratias debebunt? respondet: Di faciant, ut, quantas ipse illis debeo, videar retulisse.

Praeter rerum gestarum paucitatem brevis Thrasybuli vita sententiarum continet affatim. Omnis oratio cum illustratur bonis apteque dispositis sententiis, tum vitarum expositiones commode hoc genere ornamenti illuminantur. Summa cum admiratione coelum suspicimus stellarum luminibus distinctum; totum coelum si stellis obsitum esset, ut nativus color coeli paucis locis appareret, tanto fulgore laesos oculos averteremus. Sic animus aversatur sententias, quibus Thrasybuli vita referta est. Post exordium intemperanter inflatum brevissime notantur res bello Peloponnesiaco gestae; sequitur sententia de fortunae vi proximis quinque versibus. Quae ad patriam liberandam instituit Thras., circa novem versibus exponuntur, annectitur locus de non contemnendo hoste. Tum uno versu significantur Thrasybuli opes non auctae pro opinione, subjicitur sententia de timiditate magna loquentium pro libertate. Post narratur Thras. in Piraeeum transisse, adhaeret prudentiae laus, cupidissime amplificata. Breviter pugnae bellique exitus memoratur praemiumque datum; statim longa de Pittaco Mytilenaeo narratio agglutinatur. Non patet iter per res gestas, intersaepta passim via est sententiis, ut pedem ubique offendas. Scrinia rhetorum videtur compilata habuisse atque diligenter spectasse, quae sententiae commode viderentur Thrasybuli rebus gestis posse illustrari. Haec est pusilli animi inepta cura, non historici aut vitae scriptoris digna munere suscepto ratio.

Tertio loco notanda est ipsius orationis vis et natura. „Fieri potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit, sed mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit —, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris". His M. Tullii verbis in Tusc. I § 6 plane Cornelius Nepos conficitur. In exordio perturbata sunt omnia, illa omnia § 4 quo referas, non habes; quare ponit § 5, nec consequitur hoc e prioribus; quo magis scriptum est c. 2 § 3, quamvis illud praeceptum non minus ducatur e multis aliis rebus, quam ex ea, quae antea posita est; ibidem § 5 Hinc sic scribit, ut nisi interprete divino adhibito, quo spectet adverbium, non videas. Atque harum quidem turbarum caussa patet. Ipsum narrationis filum, sententiarum illis luminibus toties interruptum, renovandum erat factumque est crassum, cum imperite renovaretur. Pejus etiam illud dicendi genus, plurimis locis animadversum et indicatum, ubi vera falsis sunt mista, ubi tam narrantur res ambigue, ubi a vero rectoque declinatur tam exiguo fine, ut, nisi id agas, vix sentias; nescit igitur omnino illustrare aut disponere sententias. Ubicunque ea, quae prima est omnium in dicendo virtus, perspicuitas deest, duarum caussarum alterutra subesse solet. Sunt enim, ut mente captos omittamus eosque, qui ingenio ac sermone ad alios decipiendos abutuntur, tam hebetes animo, qui quae vel legerint vel audierint, nec percipere ipsi nec cum aliis plane communicare possint; hujus modi homines non raro ad obscurissima quaeque feruntur, maximeque iis delectantur, qui ampullantur in arte. Sunt alii, quorum animus varietate atque copia sensorum ac cogitatorum offunditur, ut quasi undarum agitata fluctibus recta stare non possit mentis acies. In altero genere non erit qui Cornelium Nepotem ponat, tam est omni ex parte tenuis, sterilis, minutus. Restat igitur, ut ad prius genus referamus, referemusque, ut videmur, nostro jure. Dicimus igitur, ingenii infirmitati hoc deberi, quod plurima tam obscure, tam oblique, tam absurde scripserit.

Denique ipsorum verborum, quibus usus est, mentio facienda est. Qui angustissimo spatio octoginta versuum durissimam Ellipsim, durissimam Tmesim, durissimum Zeugma admittit, qui ab Evandri matre repetit Actaeos pro Atheniensibus, parserat a Plauto, pernicii ab eodem, qui tam ab urbanitate abest, ut cives Athenienses appellet Atticos, qui non dubitat plane inusitate ponere animi aequitatem pro modestia: is profecto nec a simplicitate nec ab elegantia dicendi laudandus est. Quamquam, ubicunque sapit, omnis orationis tenor atque color, ut nostra fert opinio, manifesto M. Tullii aequalem prodit.

Summa haec est. Ex octoginta vel centum versibus, quibus Thrasybuli vita continetur, nullus fere est, quin offensionem habeat, eamque offensionem, ut lector sit monendus.

Esto. De Thrasybuli vita damus, quod vis. Quid porro? Quod tempore excludebamur, paucis tantum locis quaedam e reliquis vitis excerpsimus atque annotavimus, ut quamvis leviter monstraremus, eundem esse scriptorem in reliquis vitis atque in Thrasybulo. Est quidem, ut in alia vita plura, in alia pauciora, quae reprehendantur, insint, sed ubique sui est simillimus, ubique eadem est vel neglegentia vel cupiditas in rebus tractandis, ubique eadem cogitandi judicandique infirmitas, ubique idem inusitatorum vel obsoletorum appetitus. Quamcunque sumes Nepotis vitam, monendus erit lector identidem de rebus gestis docendusque, multis locis aut errasse scriptorem, aut inflexisse ita atque detorsisse res, ut maxima laude ornaretur is, de quo scribit, cum meruisset aliquam, vel magna, cum nullam; ut ne vituperaretur, ubi reprehensione dignus esset, ut illis laudibus obtrectaretur aliis. Monendus erit lector de sententiarum et universe dictorum abusu docendusque, quam pravo judicio scriptor sententiis omnia referserit, cum vere res ac simpliciter fuissent proponendae. Monendus erit lector de scriptoris infirmitate cogitandi docendusque, saepe numero verbis si non splendidis, certe, ut videntur, decoris subesse aut nihil aut pravum vel ambiguum. Monendus denique erit de verbis ipsis docendusque, quam multa nec lecta sint nec pura. Qui autem scriptor hanc tantam legendi curam flagitat, ut recte legatur, delicias nescio an dixerim generis interpretum aut lectionem aptam viris, qui de judicio bene constituti tanta sunt instructi rerum copia sermonisque Latini cognitione, ut aut ipsi inveniant prava aut certe dubitare didicerint: at arcendus vero erit tanquam pestis a pueris duodecim annorum.

Quid enim? E lectionis initiis ut boni capiantur fructus, et cito pueri Latine legere discant necesse est, et diligere scriptorem, qui primus traditur. Neutrum fieri poterit, si Cornelium primum tradas legendum. Cum retardabuntur passim doctoris voce ingerentis, quam hoc vel inepte vel inusitate sit dictum, quam illud vel ambigue vel falso: cito legere non discent, nec diligere eum, abs quo laesam toties audient primam historiae legem rectique judicii normam. At, inquis, morosus tu quidem es doctor ac difficilis; qui sapient, plurima transibunt, quae recte sciant necne non interest puerorum. Non invideo tibi insanientem istam sapientiam, dicoque, qui doctor sciens transeat illos tam turpes errores vel omnes vel multos, culpam contrahere, quae in hac arte nostra maxima sit; sciens enim patietur errores imbibi.

Quod tempore ac spatio jubemur jam cursum inhibere, relinquenda est gravissima quaestio de recta ratione vitarum scribendarum. Quam qui instituet, non dubitamus, quin ab his majoribus initiis profectus ad eundem finem perventurus sit, ad quem nos pervenimus historiae, logices et grammatices adminiculis nisi. Ex ipsa artis vi et natura, ni fallimur, demonstrabit ille, vitas, quae hoc nomine dignae essent, Cornelium non scripsisse, nec id egisse, ut imagines virorum fortissimorum ad vivum expressas exhiberet, sed circumspicientem, quae lectores pusilli animi minutique ingenii oblectarent, quasdam narratiunculas de illustribus viris consarcinasse. Poterit idem facili negotio ostendere, unde hoc genus vilissimum narratiuncularum, non vitarum, repetendum sit; necesse enim erat, qui non satis valeret ingenio, cum ad litterarum studia se contulisset, plane pessumdaretur rhetorum artibus. Omittenda est etiam de M. Tullii amicitia disputatio; miramur, quod multi id genus amicorum respicere noluerunt, qui magnis viris, qui ubique sunt, sese applicare solent, ut gloriolae aliquid sibi arripiant.

Ex iis, qui nuper de Latinis litteris scripserunt, subtiliter et severe, ut solet, Bernhardy de his vitis statuit p. 264; justo aequius Reinholdus Klotz p. 89.